



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 45. Fornoviense praelium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

fluvii parte ducentorum cataphractorum manus ad subitos belli casus seposita permaneret, eique Hannibal Bentivolius praesesset; praeterea Marchio Mantuanus ad eandem Tarri regionem Antonium de Montefeltro Urbinensis Ducis Nothum cum alia equitum legione properare iussit.

Saecul. XV.
A. C. 1495.

§. XLV.

Fornoviense praelium.

His ita dispositis, Marchio Mantuanus in ultimum Gallorum agmen copias suas duxit; hi quoque signa in hostem convertunt, primosque foederatorum impetus, in victo robore excipiunt, ac fortiter utrinque dimicatur, aequata pene victoriae gloria, sed tandem nihil propius videbatur esse, quam ut Carolus Rex, & Joannes Fuxus hostium potentiae succumberent; cum enim improvide numerosae foederatorum turmae Tarrum trajiciendi libertatem, & damna ex fluminis transitu illis illata reparandi spacium indulgerent, adeo mutata erat praelii facies, ut nec infracta Gallorum pertinacia ultra obstare posset, quo minus hostium agmina in mediam aciem prorumperent, jamque Marchio Mantuanus ad vexillum album (*), ubi Rex praesens aderat, penetraret, ac collatis ferocius signis, longiusque abreptus ad primos usque dimicantium ordines perveniret.

E 3

Præ-

Sæcul. XV.

A. G. 1495.

Comm. l. 8.

c. 6. p. 114.

Præterea Rudolphus Gonzaga tam prope Carolo impendebat, ut vigesimo duntaxat passu a Rege semotus, Notum Borbonium captivum abstraheret, ipsique Carolo proximum æqualis infortunii immineret periculum: ast hanc ipsam hostium audaciam Galli multo vulnere, gravique clade plecebant; hi enim aciem instaurant, & hostilem secundi agminis impetum tam invicta fortitudine, ac constantia sustinent, ut per medias Mantuani Marchionis copias opportune percurrerent, tantamque stragem ederent, ut Marchio suos haud amplius colligere posset; Rudolphus etiam Gonzaga, cum cassidis operculum demitteret, imperia daturus, derepente in facie hastilis ictu vulneratur, ac penes Marchionem exanimis corruit, qui & ipse captus fuisset, nisi ejus libertatem duo belli Præfecti proprio sanguine redemissent. Perierunt tamen Rainutius Farnesius capite in duas partes scisso, & Picininus equo suo dejectus, equorumque unguis protritibus, pariterque sex alii cathaphractorum centuriones natione Itali in prælio occisi fuerunt, quorum infaustæ mortis beneficio

Man-

(*) Ita prima Gallici equitatus legio in Francia appellari usquevenit, eo quod album vexillum præferat, quod eorum idiomate vocatur. LA CORNETTE BLANCHE.

Mantuanus Marchio tandem sibi fugæ Sæcul. XV.
viam aperuit. A.C. 1495.

§. XLVI.

Gallorum victoria.

Cuncta hæc victoriæ præludia potissimum debebantur intempestivæ prædandi cupidini, qua Albanenses acti, certatim ad Gallici exercitus impedimenta convolabant, cumque ea nullo milite custodita in itinere reperirent, tantam prædæ opportunitatem prehendere intenti, Com. lib. 8. c. 6. p. 112. obvia quævis invadunt, ac quam plurimos currus, mulosque secum abstrahunt. Horum socii, cum ceteros præda onustos conspicerent, relictis signis, protinus in spolia involant; cum vero illi ad firmandos gravioris armaturæ milites, quos Marchio Mantuanus ducebat, destinati essent, tumultuaria horum excursionis prælii ordo plurimum turbabatur. Incessit pariter eadem diripiendi aviditas quoddam equitum agmen, cui Cajatsius Comes præerat, & Albanenses sequebatur; unde Comes horum absentia tantopere perterritus hæsit, ut certamen auspicari renueret, quamvis reliquas tot haberet copias, ut non sine victoriæ spe prælii discrimen experiri potuisset: Interim Galli hanc foederatorum confusionem in rem suam vertunt, atque Italos